



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

Index Decretorvm Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

ANNO CHRISTI 1527. postulant, nullam ex participatione huiusmodi excommunicationem incurant. Præcipimus tandem singulis suffraganeis nostris, ut hoc nostrum tam salubre, tamque pro conditione temporum necessarium statutum, suis statutis synodalibus adiiciant, ac in prima eorum Synodo faciant publicari. Datum Parisiis in prima sessione Concilii nostri facta apud fratres eremitas sancti Augustini, anno Domini MDXXVII. die tertia Februarii.

INDEX DECRETORVM FIDEI.

CETERVM, quia magis solent sermones particulares moribus esse accommodi, quam vniuersales, iam superest, particularia quædam decreta super renascentibus nonnullis præfatis erroribus in medium proferre: quibus tum per sanctas scripturas, tum per sacra Concilia, traditionem ecclesiæ, antiquitatis consensum, tum per inconcussum ecclesiæ usum, & certam eiusdem auctoritatem eiusmodi elidantur errores. Quorum quidem decretorum index subsequitur.

- | | |
|---|---|
| I. <i>De unitate & infallibilitate ecclæsiae.</i> | IX. <i>De votis, & presertim monasticis.</i> |
| II. <i>Quod ecclesia non sit inuisibilis.</i> | X. <i>Quod septem sint sacramenta ecclesiae.</i> |
| III. <i>De auctoritate sacerorum Conciliorum.</i> | XI. <i>De sacrificio Missæ.</i> |
| IV. <i>Quod ad ecclesiam spectet determinare, qui libri sint canonici.</i> | XII. <i>De satisfactione, purgatorio, & commemoratione defunctorum.</i> |
| V. <i>Aliqua esse firmiter credenda, qua non continentur expresse in scriptura.</i> | XIII. <i>De veneratione sanctorum.</i> |
| VI. <i>De constitutionibus humanis.</i> | XIV. <i>De veneratione sacrarum imaginum.</i> |
| VII. <i>De ieiuniis ecclesiasticis.</i> | XV. <i>De libero arbitrio.</i> |
| VIII. <i>De calibatu sacerdotum.</i> | XVI. <i>De fide & operibus.</i> |

DECRETA FIDEI.

I.

SANCTVM quidem & indissolubile viri & vxoris vinculum: at vero magnum istud in Christo & ecclesia sacramentum, quam ille tantopere dilexit, ut seipsum traderet pro ea, quo illam sanctificaret, mundans eam lauacrum aquæ in verbo vitae, & exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam neque rugam. Cum igitur eam sibi in fide desponsauerit, ab ea profecto per infidelitatem, aut

Concil. Tom. 34.

Kkk